



4567

1893

o-XVII, 291.

13

• 1544


DE CHRI-  
STI IESV RESVRRECTI-  
ONE, ET ILLIVS FRVCTV,  
DISPVVTATIO ANTONII  
MVSÆ, *pro licentia in theo-*  
*logia adeunda*

Vicesima octaua Maij,  
Anno M D XLIII.

LIPSIAE  
IN OFFICINA VALENTINI  
PAPÆ.

F 15





# DE CHRI- STI IESV RESVRRE- ctione, & illius fructu.

Quæ hic proposita sunt themata disputabit  
magister Antonius Musa, in schola Lipsensi  
die uicesima octava Maij, pro licentia  
in theologia adeunda

M D XLIII.

## Q V A E S T I O



N filius Dei Christus, natura  
uerus Deus & uerus homo,  
postquam iniquorum mani-  
bus peremptus fuit, diuina  
potentia sit resuscitatus, so-  
lutisq; doloribus mortis ( quatenus impossi-  
bile erat teneri illum ab ea ) resumt aq; ui-  
ta, amplius non moriatur & mors illi ultra  
non dominetur.

Illa ipsa resurrectione sua, peccato, mor-  
te, inferno, diabolo superatis, & in suam po-  
testatem ita redactis, ut in Christum creden-  
tibus officere amplius haud queant, Deo mü-  
dum reconciliauerit, SACERDOS & REX  
æternus factus, iustitiam, uitam, ac futuræ re-  
surrectionis spem orbiretulerit.

## C O N C L V S I O P R I M A .

A 2

Et si

**E**T SI filius Dei Christus natura uerus.  
Deus & uerus homo iniquorum manib.  
peremptus à morte superatus et uinctus sit,  
illiūsq; dominū ac dolores aliquādiu, pertu  
lerit. Tamen cum peccatū ipse non nouerit,  
nec dolus in ore eius inuentus sit, neq; de pec  
cato argui, à quo quam unquam potuerit, cū  
morte congressus, illam uicissim superauit so  
lutisq; doloribus illius: quia impossibile fuit  
teneri illum ab ea: resumtāq; uita, ex mor  
tuis diuina potentia resurrexit, neque post  
hac amplius moritur, & mors illi ultra non  
dominabitur.      II

Cum uero nihil æque cum ratione pugnet,  
atq; Christi ex mortuis resuscitatio, munien  
da primū est, certitudine resurrectionis, pīj  
hominis mens, cum manifestis scripturæ lo  
cis, tum discipulorū testimonio, qui illum ui  
derunt, & cum eo comedenter ac biberunt,  
postquam à mortuis resurrexit.

III

Nec uero inefficax fuit resurrectionis ei  
us opus, quippe quo peccatum deletū, mors  
abolita, infernus ac satan superati, et in Chri  
sti potestate ita redacti sunt, ut eos qui sunt  
in Christo Iesu, nec accusare, nec damnare  
queant.      IIII

Neq; hoc solum, uerum etiam placuit deo  
patri, uniuersum terrarum orbem, per illū

reconciliare erga se, & iustitiam ac uitam  
eternam mundo reddere.

V

Nam oportuit Christum pati, & tertio  
die à mortuis resurgere, & intrare in glo-  
riam suam. VI

Gloria autem Christi est, quod non usur-  
pauerit sibi ipsi honorem, sed uocatus sit à  
Deo patre, ac constitutus rex & sacerdos  
in æternum secundū ordinem Melchisedech.

VII

Neq; inane nomen sacerdotis est, uerum re-  
præsentat functionem sacerdotalem, quam  
Christus gerit, & ad Ecclesiam suam perpe-  
tuo utitur. VIII

Sunt autem sacerdotis præcipua opera,  
docere uerbum Dei, offerre donaria & ui-  
ctimas pro pecatis hominum, & assidua in-  
terpellatione Deum placare, quæ uniuersa  
Christus ipse in terris summa fide exercuit.

IX

Docendi officio functus est, dum minister  
circuncisionis factus, ipse concionatoris u=  
surpato munere, de gratia sua ubertim nos  
erudit in omni sapientia ac prudentia, &  
notum fecit nobis misterium uoluntatis suæ,  
iuxta beneplacitum suum, quod proposuit  
in ipso, in disp̄satione plenitudinis tēporū,  
δινακεφαλαιώσαθαι τα πάντα τὸν θεόν

A 3

χριστῷ

2815⁹ ⁊ quæ in cœlis ⁊ quæ in terra ⁊  
& v̄t⁹.

X

Sed nec tum solum ministerium uerbi ges-  
sit, uerum usq; ad finem mundi etiam, solus  
in Ecclesia doctor Christus est, dum misso  
spiritu sancto, quos elegit, ad Euangelicum  
munus euocat, illuminat ⁊ robur addit, ut  
uberius audeant impauide cum omni fiducia  
sermonem loqui. XI

Quum uero Christus pontifex est, pro ho-  
minibus constitutus ad Deum, ac necesse sit  
ut habeat dona ⁊ uictimas quæ pro pecca-  
tis populi offerat, nec possint taurorum ⁊  
hircorum sanguinem auferri peccata semeti-  
psum pro peccatis totius mundi semel obtu-  
lit, sacrificium Deo gratum ⁊ acceptum,  
qua unica oblatione perfectos effecit in per-  
petuum eos qui sanctificantur.

XII

Porrò quia non in manufacta sancta in-  
gressus est Christus, sed in ipsum cœlum, ut  
appareat nunc in conspectu Dei pro nobis  
meritis C̄iλασίσvōn seu ut Ioannes appel-  
lat ωαράκλιτος factus, preationes ⁊ sup-  
plicationes cum clamore ualido offerens, a-  
ternus sacerdos secundum ordinem Melchi-  
sedech perpetuò interpellat pro nobis ⁊  
placat patrem. XIII

Nec ipse solus honore sacerdotij perfrui  
tur,

tur, uerum eundem credentibus communica-  
ns, & equat illos sibi, & fratres, imò gentem  
sanctam, genus electum, regale sacerdotium  
appellat.

XIII

Dedit enim Ecclesiæ idem docendi munus quod ipse gesit, sicut inquit apostolus, posuit in nobis ministerium reconciliationis, & addito præcepto iussit docere & baptisare omnes gentes in suo nomine, gerunt igitur p̄ij concionatores idem cum Christo ministerium, & nomine Christi legatione funguntur, tanquam Deo nos per illos exhortante.

XV

Habet etiam Ecclesia cultum & sacrificia, non quidem ueteris testamenti Leuitica, sed noui testamenti spiritualia, quæ Deo, tanquam gratitudinis & obedientiæ symbolum offert, ut sunt, docere Euangeliū, audire & discere Euangeliū. Item prouehere quomodo cuncti potes Euangeliū, timere Deū, credere Deo, gratias pro suo uerbo & reliquis beneficijs agere, inuocare Deum, considerari Euangeliū, hæc & similia sacrificia laudis, appellare potes, de quibus apost. Sacrificium laudis honorificabit me. Item perferre crucem & afflictiones propter Christum, & confessionem Euangeliū, & in summa, omnia bona opera, quæ à p̄ijs fiunt, uere sacrificia sunt, de quibus apostolus, Præ-

A 4 bete

bete corpora uestra hostiam uiuentem, san=  
tam, acceptam Deo, rationalem cultum ue=  
strum. Qui cultus et si non est satisfactio pro  
peccatis, neq; meretur uitam æternam, tamen  
quia exigit illum Deus, placet illi, sicut Pe=  
trus testatur, Vos estis sacerdotium sanctū,  
ad offerendas spirituales hostias, acceptabi=les Deo per Christum.

XVI

De intercessione uero, quod liceat Eccle  
siæ, & pro suis & alienis calamitatibus ac re  
bus necessarijs, in conspectu Dei, preces fun=  
dere, & quod exaudiatur satis testantur,  
præcepta & promissiones Ecclesiæ factæ, ut  
Petite & accipietis, Item, Quicquid petieri  
tis patrem in nomine meo dabit uobis, hacte  
nus non petistis, petite & accipietis. Item Ie  
saiæ. Et erit, antequam clament, exaudiam  
eos, Nota est, arcana Mosi ad Deum oratio,  
ad mare rubrum, Exodi 14.

XVII

Quum igitur Christus resurrectione sua ta=lis pontifex factus sit, ut eius unius interces= sione sanctificetur ecclesia, nec in alio quo=que salus sit, neq; aliud nomen datum inter homines in quo oporteat saluos fieri, de= niq; sacerdotij sui honorem ecclesiæ commu= nicauerit, agnoscamus tantum beneficium, et agamus pro illo gratias, Deo & patri, & ample

amplectamur hunc sacerdotem Christū, ac  
uerā fide conuertamus nos ad eum, ut pasto=  
rem & curatorem animarum nostrarum, o=  
mni cura nostra in illū coniecta, quia ipsi cu=  
ra est de nobis, ac nihil dubitemus, quin assi=  
dua illius interpellatione pro nobis, in gra=  
tiam patris recepti, æternam salutem, certo  
simus consecuti, Amen.

### XVIII

#### DE REGNO CHRISTI.

Neq; Sacerdotium solum, uerū et regnū,  
Christus resurrectione sua adeptus est, non  
quidem mundanum: ut tum quidem Iudæi, et  
aliquandiu Apostoli, ac nunc multi fanatici  
sentiunt: quo armis carnibus orbem sibi  
subiugaturus esset, distributurus & admini  
stratus prouincias, mundanorum regum  
more, sed spirituale, & longe à mundano di  
uersum.

### XIX

Est autem spirituale regnū Christi quod  
sedens ad dextrā Dei patris, in cœlestibus,  
inuisibiliter regnat & potens dominus fa=  
etus sit, omnium creaturarum tam in cœ=  
lo quam in terra, supra omnem principatū,  
potestatem, uirtutem, dominium, & omne  
quod nominatur, non solū in seculo hoc, ue  
rumentam in futuro & omnia subiecta sunt  
sub pedes illius, adeo ut in nomine eius omne  
genu flectatur cœlestium, terrestrium et in=

A 5      ferro=

fernorum. Præcipue uero constitutus est caput, super omnia ipsi Ecclesiæ, quam ineffabilis sapientia per uerbum & spiritum sanctum gubernat, seruat, & defendit, in medio etiam inimicorum eius, quos et scabellum ponit, pedum suorum, qui deniq; omnia operatur secundum consilium uoluntatis suæ, omnia in omnibus adimplens.

XX

Hanc autem tantam potentiam, non sive auctoritate CHRISTVS sibi vindicavit ipse, sed à patre cœlesti iamolim promissam per resurrectionē ex mortuis, accepit, sicut psalmus testatur, Ego constitui regem meum super Syon montem sanctum meū, Et in Genesi, Semen mulieris conteret caput serpentis. In paral. Statuam eum in domo mea & in regno meo, usq; in sempiternum, & thronus eius erit firmissimus in perpetuum. Et Iesu. Radix Iesse stat in signum populorum. Item De fructu uētris tui ponam super sedē tuā. Hierem. Suscitabo David germen iustum, et regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra, Quibus testimonij perspicue cernitur, Christū non sua sed patris autoritate regnum usurpasse.

XXI

Neq; nullius momentires est, regnū Christi, sed potens & uerē efficax in mundo, nam uel

uel inuitis omnibus inferorum portis, per= rumpit, ac uia glorie CHRISTI aperit, ut cognosant & gentes salutare Dei. Sicut Ie= sias testatur, Reges uidebunt, & consur= gent principes, & adorabunt eum propter Dominum qui fidelis est. Et psal. Postula a me & dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae, reges eos in uirga ferrea. XXII

Eadem etiam potentia, tuetur Ecclesiam suam Christus, ne opprimatur ab hostib. suis mundo, scilicet tyrannis, morte et Satana, i= mò illos uicissim ecclesiæ uice, tanquam po= tentissimus rex, quam grauissime, ulciscitur, sicut magnifica uictoria defendit Ecclesiam ad mare rubrum, Pharaonem cum toto exer= citu horribiliter absunto. Et seruato Daui= de, uniuersos inimicos eius interfecit coram eo. Spirituales uero hostes, peccatum, mor= tem, Satanam, captiuitatem scilicet nostram, adeo potestatis suæ fecit, ut captiuos etiam nunc teneat illos, ne damnent credentes, iu= xta illud, Nulla est condemnatio his qui sunt in Christo Iesu. In summa Ecclesia est mons, eleuatus supra oës colles, ac firmatus adeo, ut ne portæ inferoru quidē aduersus illam, quemadmodum anxie querunt, præualere queant, Sicut satanas ipse de Job queritur, Job 1. Nonne, inquit, tu uallasti eum, ac do= adeo

mum eius per circuitum.

XXIII

Neq; defendit solum, uerum etiam perpetuo adest Ecclesiæ suæ Christus, gubernans il lam per uerbū Euangelij, & spiritū sanctū, dum enim adflictæ ac desperabundæ annunciat pacem & recipit in gratiā, promittens liberationē ab omnib. malis, deniq; uitā æternam. Ecclesia audit, & amplectitur hanc uocem, sequitur, & Christo tanquam proprio suo regi obedit, ac nihil dubitanter sperat beneficia promissa certo illi obuentura. Eadem fide despendet sibi etiam Ecclesiā Christus, & efficit membrum corporis sui, ut sit os ex ossibus eius, dans illi arrhabonē spiritū sanctum in agnitionē sui, qui etiam redidit testimonium spiritui nostro quod simus filij Dei, in quo & clamamus Abba pater.

XXIV

Quū uero Ecclesiæ pro Christo rege suo in acie standum, ac luctandum etiam sit, non contra carnem & sanguinem tantum, uerum aduersus potestates ac mudi dominos quoq; rectores scilicet tenebrarū sæculi huius aduersus spirituales nequitias in cœlestib. Christus ipse, tuba Euangelij, ueluti classicum annens, hortatur ad pugnam ac induit illam ar maturam Dei, spiritu scilicet sapientiae & intellectus, consilij & fortitudinis etc. seu

ut Paul

ut Paul. ait, Iubet lūbos circuncinctam esse,  
baltheo in ueritate, indutam lorica iustitiæ,  
et calceatam pedes in præparatione Euangeli pacis, ac reliquis armis spiritualibus, ut  
resistere possit ac demoliri omnem munitio-  
nem et celsitudinem, quæ extollitur aduer-  
sus cognitionem Dei, et stare in die malo ac  
uictoriam consequi per Christum Iesum do-  
minus nostrum, Amen.

XXV

Sicut autem sacerdotij, ita et regni quoq;  
participem fecit Ecclesiam. Est enim consti-  
tuta heres et domina mundi, sicut Paulus ait,  
Quod Abrahæ et semini eius heræditas mun-  
di promissa sit, per iustitiā fidei. Deinde et-  
iam uictrix est, mortis æternæ, dedit .n. illi  
Deus uictoriam per Iesum Christum. Acce-  
pit præterea potestatem aduersus spiritus  
immundos, ut ejiciat eos, qua etiam autorita-  
te utens, adiurat, et imperat Satanæ ut exe-  
at ab infantibus baptismo adhibitis, deinde  
habet etiam potestatem calandi supra omnē  
uirtutem inimici. Item sanandi quemuis mor-  
bum et quemuis languorem. Item habet po-  
testatem ligandi et soluendi, Datus est insu-  
per illi Christus, et cum Christo omnia. Et  
in summa omnes creaturæ coguntur illi ser-  
uire in bonū, magna certe potentia, magnus  
honor est Ecclesiæ, uerum non in conspectu  
homia

hominum positus, sed in spiritu & coram  
oculis Dei.      XXVI

Præterea resurrectiois futuræ spem quo  
que fecit credentib. fore ut in nouissimo die  
& ipsi resurgent, ijsdem quibus in hac ter-  
ra uixerunt corporibus, sed exutis mortali-  
tate, ac glorificatis quemadmodum Iesa. ait,  
Viuēt mortui tui et cum corpore resurgent.  
Et in symbolo credit Ecclesia carnis resur-  
rectionē, Paulus: Seminatur corpus animale  
sed resurgit corpus spirituale. Tale autem  
erit corpus nostrum, quale in Christo resusci-  
tato fuit.      XXVII

Quum uero tam illustria testimonia de re  
surrectione & regno Christi proponit spiri-  
tus sanctus in scripturis, iure damnamus o-  
mnes qui aliam post hanc uitam, atq; adeo re-  
surrectionem mortuorum irrident ac negāt,  
quales olim saducæi fuerunt, & nunc multi  
Epicurei sunt.      XXVIII.

Damnamus & illos, qui asserere conati  
sunt. Corpora post resurrectionem futura  
aërea, & paulatim in auras tenues dissol-  
uenda, de quibus Hieronimus meminit.

XXIX


Damnamus etiam eos quoq; qui dicunt re-  
surrectionem iam factam esse quemadmodū  
Pauli temporib. Hymenæus & Phyletus er-  
raverunt.      XXX.

Nam

Nam resurrectionem negantes Deū mendacij arguunt, Christum blasphemant, & Ecclesiā inestimabili damno afficiunt. Quia si Christus non resurrexit, adhuc sumus in peccatis nostris, neq; habet Ecclesia interpolatorem apud patrem, neq; regem sese defensantem, deniq; neque futuræ resurrectionis, glorificationis, ac uitæ æternæ spem ullam, imò ruunt omnia Prophetarum uaticinia, et sunt credentes, omnium hominū miserrimi, ac plane populus sine Deo, hoc est damnati & perditi.

XXXI

Quare hunc, de resurrectione articulum, recte discamus & tenaciter imbibamus, nihil dubitantes, quin certo resurrexerit Christus, mortem ac peccatum aboleuerit, iustitiam, uitam & immortalitatem, deniq; futuræ resurrectionis spem nobis retulerit, Pontifix ac rex noster factus, qui Deo nos perpetuo conciliet, regat etiam & defendat, qui deniq; sacerdotij et regni sui gloriā nobiscū cōmunicauerit etc. Ac pro tantis beneficijs, Deo patri gratias agamus, assiduis precibus orantes, ut fide resurrectionis confirmati, sobrie, iuste ac pie uiuamus in hoc sēculo, expectantes beatam illam spem, & illustratiōnem gloriæ magni Dei, ac tandem cum omnib. sanctis uitā æternā consequamur, quod præstet idem qui ex mortuis resurrexit Iesus Christus dominus noster, Amen.



*Yg 3469*

**ULB Halle**  
004 396 014

3



*5b.*

*m*






# Farbkarte #13

B.I.G.

Black  
White  
3/Color  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

10  
9  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19



1544  
**DE CHRI-**  
**STI IESV RESVRRECTI-**  
**ONE, ET ILLIVS FRVCTV,**  
**DISPVVTATIO ANTONII**  
**MVSÆ, pro licentia in theo-**  
**logia adeunda**

Vicesima octaua Maij,  
Anno M D XLIII.

LIPSIAE  
IN OFFICINA VALENTINI  
PAPÆ.

F 15